

## EXPERIMENTUM V.

**V**Ir, triginta aliquot annorum, ex animi pathemate incidit in melancholiam, hæc sensim increvit, atque tandem in veram maniam transit.

Delebatur appetitus, noctes erant infomnes, aderat fere continuum meticulosum delirium, vires minuebantur, & æger frequentes horrores, rigoresque in spina dorsi sensit, quos conquerebatur, dum lucidum intervallum habuit.

Vena ipsi secta est aliquoties, quum sanguine abundavit, data sunt purgantia, aliaque remedia, nil tamen in melius mutatum fuit.

Imo malum fiebat pertinacius.

Paregorica & opiata, magna quamvis dosi exhibita, nullum adferebant fo-

mnum,

num, noctes inde magis inquietæ reddebantur, mens fiebat anxia, oriebaturque febris.

Conclufi ideo tentare Hyofciamæ extractum.

Exhibui statim ter de die granum unum hujus extracti.

Nox prima jam magis tranquilla fuit, & altero die viguit appetitus.

Tertio die æger jam sex grana afumpfit.

Ceffaverunt tunc horrores rigoresque, qui per fpinam dorfi verſus caput aſcenderunt, & ægri metum auxerunt.

Delirium quoque jam tunc mitius fuit, & alvus, antea ſegnīs, & duriffima, prodiit libere, pultacea, copioſa binis ternisve vicibus quotidie.

Sexto die dedi novem grana.

Spatio decem dierum jam fere restitutus videbatur hic æger.

Me incio tunc pilularum usum interrupit, & mox morbus iterum pejor erat.

Sensit tunc ipse & fatebatur, quod levamen ingens ex hocce medicamento haberet, atque ideo statim id iterum cœpit assumere.

Ultra tres septimanas continuavit fumendo quotidie quindecim hujus extracti grana.

Bene tunc se habuit, potuit iterum suo officio fungi.

#### EXPERIMENTUM VI.

**H**omo, 33. annorum, per plures septimanas sputum ejecit striis sanguineis mixtum, vexabaturque tussi multa titillatoria, & nocte erat anxius.

Mul-